Credo in deum
patrem om-
nipotentē creato-
rem celi et terre.
Et in ihm xpm
filiū eius unicū
dnm nrm. qui con-
ceptus est de ſpi-
ritu ſancto nat9
ex maria virgīe
Paſſus ſub pon-
cio pylato cruci-
fixus mortuus
et ſepultus. Deſ-
cendit ad ĩferos
tercia die reſur-
rexit a mortuis
aſcendit ad celos
ſedet ad dexterā
dei patris omi-
potentis. inde
venturus iudica-
re vivos et mor-
tuos. Credo ĩ ſpi-
ritū ſanctū. ſanc-
tam eccleſiam ca-
tholicā. ſanctoꝝ
cōmunionē. re-
miſſionē pecca-
torū. carnis reſ-
rectionē. vitam
eternā. Amen.

officium venerabilis
sacramenti in quintis feriis.
quarta feria in Vesperis Ant. et
psal. feriales. Capit. Dns Jesus.

℟. Homo quidam fecit Cœnam
magnam, et misit seruum suum
hora cœnæ dicere inuitatis vt
venirent, Quia parata sunt oia.
℣. Venite comedite panē meū:
et bibite vinum, quod miscui vobis.
Quia. Gloria. Quia.

Hymnus

Pange lingua gloriosi corporis mys-
terium, Sanguinisq; pretiosi, Quem
in mundi pretium, Fructus ventris
generosi, Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus. Ex intacta
virgine, Et in mundo conuersatus,
Sparso verbi semine, Sui moras inco-
latus, Miro clausit ordine.
In supremæ nocte cœnæ, Recumbens
cum fratribus, Obseruata lege plenè
Cibis in legalibus, Cibum turbæ duo-
denæ, Se dat suis manibus.
Verbum caro panem verum Verbo carnē
efficit: Fitq; sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit, Ad firmandum
cor sincerum, Sola fides sufficit.

Hic genu flectitur.

Tantū ergo sacramentum. Veneremur cernui:
Et antiquū documentū. Nouo cedat ritui:
Præstet fides supplementū. Sensuum defectui.

Genitori genitoq; Laus et iubilatio,
Salus honor virtus quoq; Sit et bñdictio
Procedenti ab vtroq; Compar sit laudatio.
Amen.
V. Panem coeli dedit eis. R. Panẽ Angelorũ.

Ad Magt Antiph.

O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. alla.

Oratio. Deus qui nobis.

Ad Completorium sup ps. Antiph.

Vincenti dabo manna absconditum, et nomen nouum. alla.

Ad Nunc Dimittis Antiph.

Alla. Verbum caro factum est, alla. Et habitauit in nobis alla.

Infra Septuagesimã Ant.

A fructu frumenti et vini multiplicati fideles in pace Chri requiescunt.

Ad Matutinas Inuitatorium.

Christum Regem adoremus dominantem gentibus, Qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.

Hymnus.

Panis Angelicus fit panis hominum. Dat panis coelicus figuris terminum: O res mirabilis, manducat Dominũ, Pauper, seruus et humilis.
Te trina Deitas vnaq; poscimus, Sic nos tu visita, sicut te colimus, Per tuas semitas duc nos quo tendimus Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

Antiph. sup ps.

Fructum salutiferum gustandum dedit mortis suæ tempore.
PS. Beatus Vir. Cum inuocarẽ. Conserua. Exaudiat. Dñs regit. Quẽadmodũ. Iudica. Exultate. Quã dilecta.
V. Panem coeli.

j. R. Immolabit hædum multitudo filiorum Israel ad vesperam paschæ. Et edent carnes et azymos panes. V. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaq; epulemur in azymis synceritatis et veritatis. Et edent.

2. R. Coenantibus illis accepit Iesus panẽ et benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum. V. Dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus eius vt saturemur? Accipite.

3. R. Vnus panis, et vnum corpus multi sumus. Omnes qui de vno pane, et de vno calice Participamus. V. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus, qui habitare facis vnanimes in domo. Omnes. Gloria. Participam.

V[illegible] tribulatione & angustia nostra [illegible] oremus?
Clementissime dñe sancte pater, qui non mortem, sed vitam & poenitentiam [illegible] peccatorum, per intercessionem beatæ Mariæ semper Virginis pestilentiæ plagam & cæ mala, quæ juste meremur à nobis clementer averte, ut in tua viventes pietate te fontem vitæ perennis corde [illegible] laudemus. [illegible]
Da pacem dñe [illegible]
Deus a quo sta de [illegible] recta consilia & justa sunt opera: da [illegible] illam quam mundus dare non potest pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita & hostium sublata formidine sint tua protexione tranquilla. [illegible]
+ tempora

Post hymnum Sacram
Hoc est præclarus. de præ[illegible]



Intonacioēs ꝯ.ꝑm̄ to.